



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

IV. Cædes Abelis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NAR. IV.

CÆDES  
ABELIS.

Gen. 4. Anno Mundi & Adami, 130. ante  
Christum 3923.

**P**ronus à scelere in scelus gradus est. Neque enim, quem semel improbitas dedit præcipitem, in lapsu poterit se cohibere. Quousque malitiæ progredi sustineret homo post amissum innocentia bonum, citò palàm fecit ille, qui primus omnium fraternam conscivit necem. *Cainus* is est; *Adamò*, gentis humanæ principe natus, & *Evâ*, propagationis ministrâ. Inflabat eum primogeniti speciosus, sed absente virtute, futilis titulus: & eousque reddebat insolentem, ut quantum animi cupidinibus, libidinibusque libuisset, tantum eis indulgeret: contumax ad parentum monita, cœlestium rerum inimicum ingenium: asperum, querulum, intractabile, fallere doctum, & jam tum ostentans semina, quæ mox magno parentum luctu, ipsiusque damno adoleverunt. Sed pravorum illi morum caput erat, odium in *Abelem*, eodem progenitum uterò, quo fuerat ipse, natu minorem. Erat *Abeli* jam à teneris indoles comis, placida, mansueta, placabilis: magna in fratrem observantia, in patrem matrêmque reverentia, in DEUM religio; qui, quoties DEO per victimas supplicaret, quidquid optimum maximumq; in gregibus & frugibus



bus possidebat, in sacrificium offerebat; contra quàm solebat *Cainus*, perfunctorius in cultu Numinis, cui deteriora dedicabat, melioribus in suas delicias reservatis. Ea propter discretos utriusque Divinitatis cultus, discreta sunt præmia consecuta. Super *Abelis* namque victimas, & omni victima præstantiorem, animi religionem, divinus ex alto favor oculos advertit, super immolata, priusquam humana manu subderetur ignis, de cælo flammam jaculando. Hæc porrò Divini favoris in *Abelem* inclinantis nota flammea, cum haud obtingeret *Caino*; fraternæ felicitatis in invidiam, ac clandestinam detestationem est prolapsus, ut nihil jam, nisi vindictam animo volveret, omnesque posthac victimas contumaciter ejuraret, insuper habitis DEI, spectabili tantisper se corpore offerentis, hortamentis; quibus docebatur, nequaquam causam esse, cur mœrore, odio, invidiâ in fratrem contabesceret, eaque, vultus tristitiâ ac dejectione præderet; resipisceret potius ipse, & fratrem imitatus, favorem Numinis paribus officiis demereretur; propositam esse benefactis mercedem, pœnam peccatis; neque diffideret de victoria sui; non enim defore vires, quibus pravas appetitiones subijceret rationi. Sed nihil profecit divina monitio in obdurato pectore. Cædem ut certiùs perageret, scèleri prætexens amicitiam, *Abelem*, nihil suspicantem, in agros proleçtat. Ibi tum, inter eundem varios, ut fieri solet, sermones alternantibus duobus, cum *Cainus* multa in Auctorem naturæ criminaretur, div inæque gubernationis leges, & ordinem insectaretur; proque suo fervore longiùs in propugnando Numine *Abel*  
pro-



progredetur , *Cainus* aggrediendi sceleris ansam invenisse ratus , elatum altiùs , quod manu gestabat , telum ( obvium quodvis , & apportatum domo , ruris instrumentum , ferro præfixum crediderim ) in martyris , ac fratris ( centesimum , vigesimum nonum tunc annum agentis ) cerebrum , mox & in pectus , profundè validèque demittit , itaque geminatis iterum , iterùmque plagis , & disputantem simul , & vitam disputantis claudit . Ac corporis quidem cæsi sanguinem , largo fluentem rivo , & tacito clamore ultricia sidera ferientem , tellus excepit : innoxium autem *Abelis* spiritum , destinata longæ quieti piorum amplexa sedes est subterraneis in locis : ubi corpori plurima post secula reddendus , Christum præstolaretur Liberatorem , ac cælum Innocentiæ suæ præmium . Nobis verò hæc documenta virtus reliquit , permitti malos , ut coronentur boni ; dotem pietatis esse res adversas , & proborum patrimonium , pati .

NAR. V.  
CAINI  
INTERITUS.

Gen. 4. A. M. & Adami 688, ante Ch. 3365.

**G**ravissima sunt peccatorum pondera , gravissima criminum verbera : nemo immitùs , quàm suorum scelerum conscientia flagellatur . Commisso *Cainus* fratricidiò , agente conscientia in desperata consilia animum , spe divinæ clemen-